



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod Deus vera & summa vita est, 32

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT XXXII.

Quod Deus vera & summa vita est.

I. **D**Eus, vera & summa vita, à quo, per quem, & in quo vivunt omnia quaecunque vere & beate vivunt. Deus bonum & pulchrum; à quo, per quem, & in quo bona & pulchra sunt omnia, quaecunque bona & pulchra sunt. Deus, cuius nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. Deus, qui peti te jubes, & inveniri te facis, & pulsanti aperis. Deus, à quo averti, cadere est: ad quem converti, surgere est: in quo manere, consistere est. Deus, quem nemo amittit, nisi deceptus; nemo quærit, nisi admonitus; nemo invenit, nisi purgatus. Deus, quem nosse, vivere est; cui servire, regnare est; quem laudare, salus & gaudium animæ est. Te labiis & corde, omnique qua valeo, virtute laudo, benedico atque adoro, tuæque clementiæ & bonitati, pro universis beneficiis tuis, gratias refero, & hymnum gloriæ tuæ cano: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

2. Te invoco, ô beata Trinitas, ut venias in me, & templum me facias dignum gloriæ tuæ. Rogo patrem per Filium: rogo Filium per Patrem: rogo Spiritum sanctum per Patrem & Filium ut omnia vitia elongentur à me, & omnes sanctæ virtutes plantentur in me. Deus immense, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt, visibilia & invisibilia: qui opera tua extra circumdas, & intra replet: supra regis, & infra fers: custodi me opus manuum tuarum in te sperantem,

rantem, & in tua solummodo misericordia confidentem. Custodi me, quæso, hic & ubique, nunc & semper, intus & foris, ante & retro, supra & infra, circumcirca; ita ut in me nullus pateat locus insidiis inimicorum.

3. Tu es Deus omnipotens, custos & protector omnium in te sperantium: sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, & non est alius Deus præter te, neque in cælo sursum, neque in terra deorsum: qui facis magnalia, & mirabilia, & inscrutabilia, quorum non est numerus. Te decet laus, te decet honor, te decet hymnus. Tibi omnes Angeli, tibi cæli & universæ potestates hymnos dicunt, & laudes indefinenter concinunt: utpote Creatori creaturæ; Domino servi, Regi milites: Te sanctam & individuum Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat.

CAPV T XXXIIL.

Laus Angelorum & hominum.

1. **T**ibi sancti & humiles corde, tibi spiritus & animæ justorum, tibi omnes superni cives, & cuncti beatorum spirituum ordines, gloriam & honorem suppliciter adorantes concinunt sine fine. Laudant te, Domine, illi superni cives magnifice & honorabiliter. Laudat te homo, magna portio creaturæ tuæ. Sed & ego peccator homuncio, desiderio magno cupio te laudare, amare te opto amore præcipuo. Deus meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare